J683 Vater, Christian
V343d De medicamentis diaphoreticis
Wittenberg, [1683].

13

Q. D. B. V.

DE

MEDICAMENTIS DIAPHORETICIS.

ex indultu

Gratioſi Collegii Medici VVitte-bergenſis

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI atq;

EXPERIENTISSIMI

DN. CHRISTIANI VATERI,

Philoſ. & Med. Doct. Practici feliciſſimi

Domini Patroni atq; Præceptoris ſemper obſequiosè devenerandi,

ad diem Octobr. Anno M.DC. XXCIII.

In Auditorio Medico

Diſputabit

JACOB CHRISTIAN Below/

C. S. M. S.

WITTENBERGÆ,

[illegible] JOHANNIS WILCKII.

30.

RPJCB

PROOEMIUM,

COmmunes meritò, qvibus Morborum omnium vitiis medemur, ſcopi dicuntur *Alteratio* & *Evacuatio* : Ille qvidem defectum eorum, qvæ ad necesſitatem Corporis noſtri viventis ſpectant: Hic verò abundantiam ſuperfluorum & inutilium imò noxiorum reſpiciens: Unde etiam univerſam Artem Medicam per πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν ſuccinctè definitam reliqvit *Medicorum Antiqvisſimus Divinus Noſter Hippocrates*: Qvem etiam ſecutus *Heurnius*, Medicinam deſcripſit per *Artem Humani Corporis vitia per Adjectionem & Abſtractionem emendandi*. Alterationis ſanè maxima vis & Utilitas in plus qvam mille Morbis & Symptomatibus perſanandis reperitur: Qvoties enim contingit, Humores in Corpore noſtro non ſolum in ſubſtantiam Corporis noſtri nutriendi ſecedere, ſed etiam nimio calore torreri, jam incongruo frigore torpeſcere; His jam tenuitatem, jam crasſitiem officere ? Qvoties imbuuntur qvalitatibus nimis acidis, amaris, ſalſis, acerbis, malignis & Sexcentis aliis, qvarum ordo, menſura & modus afficiendi indicibiles ferè ſunt, qvibus tamen corrigendis alteratio ſufficere debebat ? Sed non minus, imò ſæpius humores & contenta totâ Subſtantiâ â naturali recedunt ſtatu, qvæ

Alterantibus ſolis reduci prorſus erat impoſſibile: Hinc ſane *Evacuatio* prioribus erat adjungenda, non dicam anteponenda; Qvæ licet variis qvidem modis, ſc. *Purgatione, Vomitione, Diureſi, Sudore, Salivationibus aliisq́;* peragatur: *Sudoriferis* tamen eorumq; Vicariis *Diureticis*, ſi qvis principatum deferat, â verò aberraſſe non videbitur: Non qvidem, fateor, omnis per eandem Evacuationem humor eſt extrahibilis, ſed docente jam *Galeno lib. 4. de Sanit. Tuend. Cap. 3. Alius vim ſeqvitur magis purgatricem, alius qvi Catharticis liberius, alius Sudorifero, alius Diuretico faciliꝰ elicitur;* Naturæ tamen magis præ cæteris amica & ſubſeqva videntur Sudorifera: Non enim gravare poterunt, æq; ac alia, corporis intima, qvia ſunt per qvam ſubtilia ac agilia, qvæ univerſum Corpus potius ab onere liberant, imò Cor ad alacritatem & Spiritus excitant, exaltant & ſimul qvoqve generoſe alterant; Sic utramq; qvaſi vicem, univerſam ferè Medicinam ſupplent. Nulla præterea Sudoriferis infeſta hoſtilitas, æqve ac Purgantibus multis ſubeſt, nec vitæ tale tantumqve diſcrimen horum legibus ſubjicitur: Potius generoſe excludunt Malignitatem qvamcunqve, nec facile præparantibus vel corrigentibus indigent: Ut etiam *Helmontius* iisdem ſolis non ſolum *Febres* omnes, ſed etiam *Pleuritides, Anginas* & infinitos alios Morbos citra Venæ Sectiones, Purgationes aliaqve remedia curari poſſe, inſolito conatu evincere conatus ſit. Tantum igitur remedium dignum videbatur ulteriori indagine. *Faxit DEUS T. O. ut omnia proſperè cedant.*

CA-

CAPUT. I.
DE
DIAPHORETICORUM ORTU, COPIA ET SELECTU.

§. I.

SUa etiam Arti Medicæ ſunt initia, ſua incrementa; Non ſimul inventa & perfecta fuit, ſed perpetua adolevit propagatione,& per nova ſubinde additamenta florem cœpit: Cum enim dubium non ſit, ſtatim atqve homines ægrotare ſe animadverterent neqve per omnem vitæ ſuæ decurſum ſecunda valetudine frui poſſent,eosdem qvoqve ex ductu rationis inqviſiviſſe remedia,perqvæ convaleſcerent, aut ſani perſiſterent: Factum hinc omnino eſt,ut alii modo caſu, modo ab analogia ſimplicium ad Morbos,vel partes Corporis ſui, modo à Brutorum Sagacitate in conſervanda valetudine ſua,modo aliunde remedia pro ſublevandis tam variis, qvibus obnoxii erant,ægritudinibus, invenerint.

§. 2. Non noviſſime demum, ſed omnium fere primum *Diaphoretica* in ſcenam prodiiſſe, vel ex antiqviſſimis Artis noſtræ Scriptoribus apparet, eò qvod non ſolùm ab *Hippocrate*, ſed etiam aliis freqventiſſima *Sudationis* mentio injiciatur, ejusqve uſus maximè commendetur. Et videtur ipſam naturam una cum inchoantibus Morbis eandem digitis qvaſi monſtraſſe & ad remedia,qvibus impetrari poterat,manuduxiſſe,qvando alias mirâ ſolertiâ ſuperfluas alienisqve qvalitatibus imbutas ſeroſitates per occultos prius meatus totiusqve Corporeæ molis poroſitates confertim excludere toto die obſervabatur: Hæc naturæ molimina,ſin claudicaret ejus benignitas & virtus, erigenda medicaminibus eſſe, merito collegit humana induſtria.

§. 3. Factum hinc eſt,qvod ſi in ullis aliis,certè in his colligendis & præparandis, mirum qvantum, proceſſerit Studium Humanum: Si ullibi Certe in his *Natura* & *Ars* certare viden-

tur: Illa in Simplicium talium ingenti ſupellectile & diverſitate innumerâ, hæc in præparandi & componendi ſagacitate admirandâ, ut nunc potius de ſelectu, qvàm de inventione *Diaphoreticorum* laborandum eſſe videatur: Siqvidem non ideo tam prodiga *Natura* & *Ars* in ſuppeditandis & præparandis Remediis putanda eſt, ut omnibus æqve ſimul utamur, ſed ut ubiqve præſens & in promtu ſit auxilium pro ægritudinibus cito, tuto & jucunde ſublevandis, nunqvam verò defectus. Ita liberali qvidem manu ubivis & in qvibuscunqve Regnis ſuppeditantur Diaphoretica Polychreſta, alia tamen evporiſta & longo uſu comprobata, ſive Galenica ſive Chimica, Simplicia vel Compoſita præ aliis eligenda & in familiarem Uſum trahenda eſſe, qvis negaret?

§. 4. Collegerunt jam tum farraginem eorundem *Macaſius*, *Rolfinc.* aliiqve in promtuariis, ut nunc tantum de potioribus diſpiciendum relinqvatur; Ita è *Vegetabilibus* habentur *Radices*, *Herbæ*, *Flores*, *Semina*, *Ligna*, *Reſinæ* & *Succi* admodum varii, ſed niſi ſtudio in variandis præter necesſitatem ſimplicibus prodigi eſſe velimus, aut ſupervacaneas Pharmacopoliorum & Diſpenſatoriorum congeriei formulas inevitabiliter ingerere cogamur, pro qvibuscunqve formulis & ſcopis profecto ex his pauciora e. g. *Radices Chinæ Sarſaparillæ*, *Carlinæ*, *Gentianæ*, *Enulæ*, *Angelicæ*, *Leviſtici*, *Pimpinellæ*. *Zedoariæ*. *Imperatoriæ*: *Herbæ Scordii*, *Card. Bened. Centaur. min. & Fumar. nec non Baccæ Inniperi*, *Paris & Sambuci ejusqve flores*; *Ligna item Guajaci*, *Saſſafr. Fraxini*, & *Juniperi* una cum *Camphora*, *Myrrha*, *Croco* & *Opio* ſufficere qveunt: Revera enim ſupervacaneus tantus exceſſus ſimplicium in numero, varietate, pretio aliisqve, qvando paucis paratu facilioribus præſertim vernaculis, præſentioribus & acceptioribus idem præſtare licet, qvod in aliis præter rem operoſe & ſumtuoſe qvætitur, nec tamen ſemper impetratur.

§. 5. Ita ex *Animalibus* votis abundè ſatisfaciunt *Cornua & Sangvis Cervi*, *Hirci*, *Ebur*, *Viperæ*, *Cancrorum Lapides & Percarum*, *Mandibulæ Lucij*, *Conchæ oblongæ Piſcinarum &c.* Reliqvis autem facile carere licet, præcipue Lapide iſto, qvi pretio qvidé, ſed non æqve Virtutibus excellit, *Bezoardico* ſcilicet, cui *Hercul. Saxon.* & cum eo *Sualwius*. aliiqve jam tum Diaphoriſin omnem

detra-

detraxerunt: Qvin imò nec opus tot *Cerebris Animalium præcipue Hominis*, *Oſſe de Corde Cervi*, *Sordibus è Canthis cervorum Unicorum vero, vel aqvatico cornu Rinocerotis* & ſimilibus curiosè aut tædiosè corraſis, utpote qvorum virtutem vel ſola *Cancrina & Cervina* facile æqvant, ſi non potius ſuperant.

§. 6. E *Mineralium tandem Claſſe* itidem exuberantisſima in paucis aliqvot, etiam libero convenientium ſelectu, qvi Praxi compendiariæ aſſuevit, qvis acqvieſcere poteſt ſine piaculo. Sic Terra aliqva ſive Sileſiaca Strigonenſis, ſive alia qvædam, modo pura & pingvis cum bolo Armeno facile ſupplet vicem Terræ cujuscunqve Turcicæ aut Lemniæ; Et Unicornu iſtud fosſile pasſim nunc vulgare cum aliis ♁tis, Cinnabaris, Cervinis, Cancrinis, Corallinis & ſuccinatis ſuperabit etiam ipſas Gemmas tum Orientales, tum Occidentales, Granatum, Smaragdum Carneolum, Rubinum &c. utpote qvas præter abſorbendi virtutem, aliis qvoqve vilioribus & facile parabilibus communem, nullam habere, experientia Modernorum Practicorum jamdudum ſatis confirmatum habemus.

§. 7. Et cur etiamnum tot *Præparata*, tot *Aqvæ Sudoriferæ*, tot *Electuatia*, tot *Salia Incinerata*, *Magiſteria* aliaqve in Officinis ſervantur? qvis præſcriberet & ſaltem conſvetudinis complendæ grâtia imperaret, qvæ tamen ſæpius inefficacia & obſoleta eſſe, vulgus interdum novit: Forſan omisſis tot Aqvis Theriacalibus, Bezoardicis & Sudoriferis unica vel altera ſaltē Practici alicujus Uſu comprobata unà cum Aqva Card. Bened. Sambuc. vel Scabioſæ ſufficiet pro vehiculo, modo qvis inſtructus ſit aliis qvibusdam Selectioribus, e. g. *Spiritu Card. Bened. Centaur. Minor. Sambuc. CC.* ☿*ri Volat.* ✳ *Eſſ. Lignor. Camph. Myrrh. volatili*, *Tinctâ Bezoard: Miſtur. ſ. Oleo Juniperi Succini. Caryophyll.* ⊖*e Card. Bened. & Centaur. min. &* præcipue *volatilibus Succin. CC.* ☿*ri & Viperarum.* Nec non *Flor.* ✳ ♁ *Diaph. potisſimum Bezoardicis* ♁*atis*, ♂*libus*, *Jovialibus &c.*

§. 8. Sed peregerunt negotium iſtud antehac, *Cl. Zuelffer. Pharm. Reform. & Vir multi laboris ac experientiæ Ludovic. Pharm. modern. ſecul. applicanda* aliiqve gravisſimi Viri: Qvanqvam propterea eorùm vota etiam num conſummari nondum videntur,

tur, ſaltem ut multis temporibus introductæ & ubivis confirmatæ conſvetudini litemus; Progredimur igitur potius ad *Diaphoreticorum Naturam & Agendi modum.*

CAPUT. II.

DE *NATURA ET OPERANDI MODIS DIAPHORETICORUM.*

§. I.

DIAPHORETICA dicuntur genuino ſatis termino â Διαφορέω καὶ Διαφορεῦμαι, *Digero, Diſcutio,* & *Sudoribus diffluo*; aliàs qvidem adhuc ſpecialius ἱδρωτικά ab ἱδρόω, *Aqvam ſeu Sudorem emitto*: Hinc inter *Diaphoretica & Sudorifera* ab Autoribus differentia qvædam gradualis admittitur, ita qvidem ut *Diaphoreticorum* nomine ſpecialiùs ea tantum veniant, qvæ per ἄδηλον διαπνοὴν, inſenſibiliter ſaltem halituoſa excrementa diſcutiunt & tranſpirare faciunt, atqve ſic corpus univerſum ventilant; *Sudorifera* vero ſint, qvæ hoc ipſum qvidem præſtant, non tamen in eodem acqveſcunt, ſed fuligines & halitus roſcido magis & conſpicuo vapore excludunt. Qvoniam verò magis & minus rem ipſam variare neqveunt, haut immeritò nunc etiam â nobis ſub eodem titulo, utrisqve ſat conveniente, venditantur: Qvanqvam etiam alio reſpectu *Alexipharmaca* audiant, cum pleraqve *Diaphoretica* etiam ſint *Alexipharmaca* & vice versâ.

§. 2. Sunt enim *Diaphoretica Evacuantia univerſalia, qvæ Serum â Sangvine Univerſo qvocunqve modo ſecernunt & halituum vel fuliginum ſpecie per Poros Cutis promovent.* Eadem qvidem Secretio principaliter *Naturæ* ipſæ debetur, utpote qvæ ſæpius ſpontaneo ductu, absqve omni Medicamine, qvando ab Humorum Seroſorum copia ſtimulatur, excitatur tantum, non opprimitur, meatus corporis exteriores inqvirit ac invenit, eos aperit, Cor & Arterias potentius ſolito movet, Seri copiam, accedente Calore domeſtico, reſolvit, fundit, poros in ambitu laxat, aperit, tandemqve Seroſitates ſuperfluas alienis utcunqve qualita-

tibus

tibus imbutas, per ambitum illum felici eventu confertim eliminat: Qvoniam vero tam ſalutaris naturæ conatus non rarò langvet, aut prorſus deficit, in ſubſidium vocantur medicamenta tam ſimplica qvam compoſita huic ſcopo apprime inſervientia, atq; hinc Diaphoretica appellata.

§. 3. Jure dicuntur Evacuantia univerſalia, qvæ non minus ac purgantia, diuretica & ſalivanti generoſa univerſam ſangvinis & Lymphæ Maſſam, ac conſeqventer totum Corpus à ſuperfluis & recrementitiis humoribus liberant. Materia qvidem qvam principaliter evacuant, eſt Latex ſ. aqvoſitas, ſub cujus ſchemate tamen recrementa varii generis excluduntur & rejiciuntur, nec ſemper volatilia qvin etiam craſſa: In ſcorbuticis ſudorem nonnunqvam arenoſum, Tartaro, qvi matulæ lateribus adhærere ſolet non abſimilem excerni, notavit *Joh. Dan. Horſtius Manuduct. ad Medic. p. 135. & 177.* Tales etiam vidit *Th. Bartholin. Cent. I. hiſtor. 34. p. 54.* Imo *Ioh. Rhodius, cent. 3. obſervat. Med. 68. p. 84.* ab aſſumpto melle roſato ſolutivo, mellis quoque ſudorem emiſſum refert. Præcipue cũ ſudore eliciuntur partes ⊖inæ & 🜍eæ, utpote quorum vehiculum alias ſerum, indeq; conjunctim haud difficulter expelluntur.

§. 4. In eo non diverſa eſſe ab urinæ materia, niſi forſan ſubtilitate, per evaporationem & quaſi filtrationem per cutis poros talis reddita: Hinc dum æſtate vel aliàs vehiculi iſtius aqvoſi per cutim copioſa trajectio fit, rarior etiam & parcior obſervatur mictus; & dum hyberno tempore vel aliunde cutis pori obſtruuntur, copioſior Urinæ ſecretio ſupervenit: Manifeſtum idem evadit ex alvi lubricitate, qvæ ſuppreſſo ſudore magis ſeqvitur; hinc notatu digna ſunt verba *Gabelchoveri Practici qvondam feliciſſimi & experientiſſimi Cent. 3. Cur. 73. Qui ſunt*, inqvit, *denſæ textura & habent cutim ſpiſſam & poros arctos, ſæpius quotidie egerunt, qvam qvi habent poros apertos, ex qvibus vapores & humiditates poſſunt reſolvi, egeſtiones ſiccantur & corpora ſunt magis conſtipata &c.*

§. 5. Ut autem operandi Diaphoreticorum modus eo melius pateſcat, notare prius convenit Sudoris ipſius, ſive Sudationis *Naturam, cauſas, & Requiſita.* Jam tum obſervavimus,

Sudorem merum Naturæ opus eſſe, qva deficiente nulla prorſus impetrari queat Sudatio; Ideoq; etiam ſupponenda hic ante omnia artificioſa Corporis noſtri ſtructura, præcipue Cutis, quæ revera inſtar retis mirabilis ex Arteriarum, Venarum, Lymphaticorum & maxime Nervorum fibris varie inter ſe complicatis & contextis conflata, tubulos, foraminula meatusq; complures â vaſorum extremis finibus Cutim perforantibus & conglobatis habeat neceſſe eſt; quemadmodum etiam eosdem jam dudum *Oculatisſimus Malpighius*, inſtar papillarum pyramidalium innumerarum obſervavit, & tanqvam genuinum *Tactus organon. Tr. d. extern. Tact. Org.* eruditisſime vindicavit: Imò â multis retro ſeculis hæc foraminum intercutaneorũ vel hiſcensia vel conniventia fuit obſervata, unde *Galenus* & alii Practici non ultimam plurium Morborum, præcipue Febrium cauſam in Pororum cutis occluſionem rejecerunt, nec Morbos eosdem tuto judicari poſſe annotarunt, niſi Sudoris evacuatione ceſſaverint.

§. 6. Ulterius progreſſi ſunt Artis noſtræ curioſi in indagatione tubulorum iſtorum, eosq; Glandulis non abſimiles, imò nihil aliud qvam Glandulas eſſe invenere; unde etiam ab *ingenioſiſſimo Anglo Williſ. in Pharm. Rat. Vol. 2. S. 3. c. 5. p. 461.* tota Cutis glanduloſa ſtatuitur: Neq; immerito: Glandulas enim qvascunq; nihil aliud, quàm extremitates & complicaturas Vaſorum Sangvineorum, Lymphaticorum & Nervorum eſſe, non ſolùm ex laudato *Malpighio*, *Williſ.* ſed *Excellentiſ. D. D. Loſſio in Colleg. de Glandulis M S.* demonſtratum & confirmatum habemus.

§. 7. *Glandulas* autem ſenſibilis Lymphæ ſecretionis officinas eſſe, nemo amplius dubitat. His enim tanqvam Colatoriis propter ſtructuram mechanica neceſſitate proprium eſt, ut aperiantur & claudantur pro motu Arteriarum, expanſione & contractione Spirituum, adeoq; transmittendo humori faciliorem vel difficiliorem tranſitum concedant; Siqvidem non humorum qua talium, ſed organorum ſecretoriorum beneficio qvascunq; ſecretiones in Corpore noſtro fieri alias ſatis notum eſt: Motis autem Spiritibus in Corpore â qvacunq; cauſa, & mediantibus iis Humoribus, præcipue Sangvine Spiritibus turgeſcente,

te, neceſſario Sangvis ipſe & halitus aqvoſi ad extremitates Vaſorum, in ſuperficie cutis terminatas, abeunt & propelluntur; In extremitatibus iſtis capillaribus mirificè complicatis qvodammodo reſtitant, plus minus vellicant, irritant, qvousqve fibræ ſenſu moleſti vel noxii infeſtatæ, ab inordinata & vehementi fibratione, neceſſario plus minus ſpaſmodicam tenſionem perficiunt: Contractis autem iis Vaſa qvoqve Sangvinea & Lymphatica ſtringuntur toties, unde neceſſario rejectio & transmiſſio vaporum halituoſorum ſeqvitur, niſi remoris aliis oppoſitis impediantur molimina talia, ut hinc potius ſtagnatio, tumores aliaqve Symptomata ſeqvantur.

§. 8. Ideò fit, qvod in qvovis, etiã ſpontaneo Sudoris profluvio, ſub exercitiis ac motu Corporis, mora in balneis & ſimilibus, obſervetur in Corpore pulſus celerior, freqventior, nec non Sangvinis per univerſum Corpus motus citatior imò totius corporis calor auctior & æſtus qvaſi, cui ſupervenit ſuperficiei Cutis, ſive Glaudularum antea dictarum rubor, mollities & aliqvalis turgeſcentia, & tandem demum continuata ſatis æſtuatione halitus rarefacti penetrant per oſcula, ibidemq; ab aëre ambiente in laticem aqvoſum condenſantur ac conglomerantur.

§. 9. Hinc qvoqve eſt, qvod præter ſtructuram talem Vaſorum & cauſas alias ad Sudorem impetrandum, reqvirantur neceſſario tubulorum naturalis & debita dehiſcentia, non adſtrictio, vel condenſatio p. n. ſiqvidem ſæpius fit, qvod illi, qvi texturam cutis habent denſiorem, ſpisſiorem, vel à natura, Temperamento frigido, acido, ſicco, vel cauſis aliis externis, e. g. frigore extrinſeco, vix ac ne vix etiam à generoſisſimis exhibitis, ſudorem dimittere qveant: Deinde Sangvis ipſe Latice ſufficiente turgeat neceſſe eſt; eo qvidem non intimius Sangvini immerſo & ligato ſed nonnihil liberato & ſoluto, ſive per inteſtinum & fermentativum Sangvinis ab Heterogeneis motum (qvi alias Sangvinem rare faciunt, ut facillime datâ portâ proruant partes volatiles, & laticem ſecum halitus inſtar rapiant.) Sive è motu ſaltem extrinſeco, à qvo non minus calor & Spiri-

tûs concitantur, indeqve Sangvis ad dimiſſionem & transcola-
tionem Seri aptior redditur.

§. 10. Qvæcunq; igitur ſeceſſum talem Seri â Sangvine,
qvocunq; etiam modo, efficere ſatagunt, ea nunc ſub Diaphore-
ticorum claſſe cenſenda & judicanda veniunt: Nihil obſtante,
qvod eadem qvæ Sudorem movent, etiam ſuppoſitis certis cir-
cuſtantiis Urinam reddant, qvemadmodum etiam vice verſa,
pleraq; Diuretica fieri hac ratione qveunt Sudorifera, in his e-
nim & ſimilibus Corporis Secretionibus non liqvidi qva talis
ſecernendi, ſed Organi ſaltem ſecretionis diverſitatem effectum
diverſum producere, antea monuimus.

§. 11. Talem autem ſeceſſum Seri â Sangvine & excluſi-
onem pet corporis ambitum non uno, ſed vario admodum mo-
do præſtare obſervantur Medicamenta qvamplurima: Potiora
tamen, adſtipulante experientiâ, operantur partim *reſolvendo, ra-
refaciendo* & fermentationem Sangvini novam inducendo, par-
tim in coagulum abiens *Serum incidendo*, partim deniq; vincu-
lum iſtud, qvod *Serum* ligat *abſorbendo & removendo*.

§. 12. RAREFACTIONEM & FERMENTATIONEM præ omni-
bus feliciter fœnerantur Sangvini ⊖ia Volatilia tàm manifeſta,
qvàm occulta, tàm Simplîcia & macra qvam Compoſita, aliis ſo-
cicta e.g. Oleoſa, vel in Oleis ipſis concentrata, qvæ proinde eti-
am præ reliqvis omnibus propriiſſimè ſic dicta Sudorifera appel-
lari merentur, Hæc enim cum per naturam ſint expanſiva & fer-
mentativa, Sangvineæ Maſſæ heterogeneæ addita eandem qvoq;
talem reddunt, ut neceſſariò Seri, communis iſtius alimenti &
excrementi vehiculi, evaporationem & promtam ſeparationem
patiatur: Tã generoſa igitur Sudorifera reperiuntur ⊖ia Volatilia
& ∽, qvi nihil aliud ſunt, qvam ⊖*ia*, ſive *ſimplicia* ſive Oloſa
pauco phlegmate diluta, e g. CC. ♀ri, Viperarum, Eboris, The-
riacalis, Bezoardicus & ſimiles: Nec non Eſſentiæ præ aliis ⊖e
Volatili Oleoſo turgidæ ê *Lignis*, Camphora, ſpeciebus Theriaca-
libus, Card. ben. cent. min. & qvæ primo loco memoranda erat,
Tinct. Bezoard. cum & ſine Opio diſpenſata: Neq; etiã Theriacæ,
Mithridatii aliorumq; ſimiliũ famoſorum *Diaphoreticorum*, imo
ob Ebuli, vel Sambuci aliunde, qvàm ⊖ibus volatilibus Oleoſis
in

in Succis, extractis & reſinis iſtis amaricantibus concentratis principaliter derivanda venit: Decocta, Aqvæ & Emulſiones qvæ ex iisdem Speciebus, Lignis ſc: Rardicibus, Herbis & Seminibus pro Sudore parantur, ex eodem fundamento ſcopo ſatisfaciunt; hoc tamen peculiare habent, qvod ubi Serum in Corpore deficit, vel minus fluxile exiſtit, præter rarefaciendi & fermentandi vim, etiam Serum reſtaurent & aptisſimum vehiculum halituoſum cum ⊖e Volatili largiantur, in qvo certè non leve momentum pro Sudore rite eliciendo ſitum eſſe, inferius patebit.

§. 13. Sed interdum ſaltem *Serum* in coagulum abiens incidere & attenuare præſtat, qvo ipſo qvidem Sangvinis fermentatio auctior redditur & promovetur: Scopum hunc impetrare qvidem licet hactenus dictis volatilibus; ſufficiunt tamen etiam ⊖ia fixa & imprimis lixiva, ſive alcalia, ⊖ia ſc: Plantarum per incinerationem parata: Hæc enim naturali contrarietate in acidum, Seri aliàs vinculum, agunt, cum illo effervefcunt & tam diu pugnant, qvousq; indolem coagulandi amittat, ſerumq; ab eo ligatum fluidius & ad ſecretiones aptius reddatur.

§. 14. Idem præſtant qvoq; ⊖ia, ⦶oſa & Enixa, qvatenus leniter abſtergunt incidunt, & hoc ipſo, ſi cum aliis potioribus Sudoriferis conjunguntur, non poſſunt, qvin Sudoris ſtillicidium promoveant: Sic enim utilisſime ejusmodi Salia e. g. Arcan. Duplic. & ⦶ Antimoniatū non ſolùm Purgantibꝰ & Diureticis, ſed in ſpecie qvoqve Sudoriferis toto die asſociantur: Non dicam, qvod primarum viarum obſtructiones ſimul expediant, qvibꝰ adhuc præſentibus haud facile Sudorem proficuum impetrare licet.

§. 15. Ita qvoqve *Acida* in ſpecie numerantur ab *Excellentiſſ. Wed. de Med. Fac.* inter Sudorifera, non alio reſpectu, qvam incidendi Pituitam, partim etiam 🜍 & rarefactionem nimiam domandi, â qvo non raro nimia Seri incoctio & nimia glutinoſitas Sangvinis dependet: Et hinc eſt, qvod ⌒ Salis, ⊕li aliaqve *acida* per ſe qvidem Sudorifera non ſint, talibus autem debite conjuncta & ſociata, mirùm qvantum *Sudorem* promoveant: Praxis certè verisſimū eſſe teſtatur, neqve Tincturā, Bezoard.

neqve [illegible] ri, Theriacalem vel ſimilem per ſe tam promtè Sudorem movere, qvam ſi acidis maritata ſint.

§. 16. Tali fere reſpectu ſpectant huc ipſa *Anodyna* & in ſpecie *Opiata*: qvod enim modo de acidis notatum, eorundem acceſſu *Sudoriferorum vim* maxime exaltari, id obſervavit *Waleg. Meth. M. p. 65.* in Theriaca & Mithridatio, qvod absqve Opio præparata Sudorem prorſus non moverint: Unde etiam omnem hunc effectũ in Electuariis iſtis Opio attribuere non veretur. Et ab *Excellentiſſ. Wedel. l. c. p. 206.* propterea vix ullum tàm certum, tùm fidũ & proprie qvaſi dictũ Diaphoreticum, qvam Opium eſſe, perhibetur. Etenim dum 🜍e ſuo blando & vaporoſo Spiritus partim obnubilant, concentrant & qvodammodo ligant, non ſolum fibroſa Cutis textura, alias Spiritibus Animalibus turgida, nunc laxa magis & flaccida, poriqve ejus aperti magis redduntur, ſed etiam Calor & conſeqventer Serum magis concentrantur; partim etiam ⊖e volatili amaricante 🜍i huic vaporoſo penitus immerſo ſimul qvoqve inteſtinam fermentationem promovent, neceſſariò naturam hortantur, ut apertis nunc & flaccidis poris, eò felicius vi unitâ ſuperfluas humiditates diſcutere inſurgat. Qvæ etiã ratio eſt, qvod ſudor vix rite extillare obſervetur, niſi Somnus illorum effectu obrepat, vel debita ſaltem qvies, aut laſſitudo qvædam Corpori concilietur.

§. 17. Ad eorum Claſſem, qvæ *reſolvendo & Lympham fluxilem reddendo* operari diximus, referimus etiam merito ♁*ta fixa* e. g. ♁ Diaph. Bezo. Min, ♂le, ♃le, ipsũ Cinnabarim ♁ii & ſimilia, ita ut eorum effectus Diaphoreſin concernens, nòn ſolùm ſit privativus, conſiſtens tantum in abſorbendo acido, impediente alîas reſpectu coagulationis Sangvinis Diaphoreſin; Sed præcipue poſitivus, qvatenus ratione in ſinu foventis ☿ii ſui, nondum in totum & penitus, ſed in tantum â ⦶ti vel alio acido fixati, ad Maſſam Sangvineam abrepti & ſoluti rurſus fundendo eam, diſſolvendo & per conſeqvens magis agitando Sudorem in Corpore diſpoſito aliàs movent, ſicqve contenta morboſa, Sero involuta, ad peripheriam protrudunt.

§. 18 *Abſorbendo* autem in ſpecie operantur non ſolum ♁ta iſta jam tacta, ſed imprimis Terrea, Alcalina dictã, ſive ⊖e

qve-

qvodam volatili, vel fixo vel, alio qvodam immerſo gaudentia, ſive minus: Ita CC. Uſt. Bolus Arm. Terra Sigill. & ſimilia non alia qvam abſorbendi, & vinculum illud acidum, qvod ſemper coagulationis reſpectu Diaphoreſin impedit, invertendi, & deſtruendi virtute Sudorem procurant; Dum eo ipſo Morbus non ſolum ſufflaminatur, ſed Spiritus & Humores priſtinæ puritati reſtituuntur, ut eo felicius id, qvod noxium & ſuperfluum eſt, excludere qveant: Eâdem & peculiari incidendi ac reſolvendi virtute operantur ea, qvæ præter Terream ſubſtantiam gaudent ⊖e qvodam alcalico lixivioſo, ut Oc. 69. vel volatili, ut CC. philoſ. Ebur ſ. △ præparatum & ſimilia, vel ☿io colliqvativo, ut ♁ta jam dicta.

§. 19. Antea obſervavimus Somnum & Qvietem Corporis maxime ad Sudorem promovendum conducere, cujus veritatem Experientia & Praxis qvotidiana ſatis confirmant, eo qvod per Somnum non ſolum Spiritus & Calor ad interiora vocentur, indeqve motus inteſtinus & fermentativus auctior reddatur, ſed etiam Fibræ univerſi Corporis laxiores & poroſiores reddantur, per qvas eo facilius halitus aqvoſi, ἀναθυμιάσεις inter inteſtinas fermentationes orti, transmitti & exhalari qveant.

§. 20. Interim tamen non negatur, motum Corporis etiam ad Sudorem facere poſſe, ſiqvidem â fortiori Calore operariorum corpora communiter ſudore largisſimo diffluere obſervamus; Verum in his rapidisſime motus Sangvis & Spiritus nimium proruunt ad exteriora & cum iis halitus Aqvoſi, unde neceſſario fibrarum tonus ſuperatus laxatur, diſtenditur & aperitur, ut hac ratione Sudor prorumpat: Qvamvis ea tantum valeant in Corporibus adhuc ſanis, ubi major Spirituum virtus & impetus viget, qvam in ægris, qvorum inqvietudines & jectigationes potius impediunt Sudoris proventum.

§. 21. Ita etiam Calor externe ambiens non parum facilitat Sudoris negotium, ut etiã in Corporibus aliàs diſpoſitis vel per ſe & ſolitario ſufficiant; ſive Calor iſte in Balneo, Lecto, fomentationibus, frictionibus aliisqve concilietur. Etenim Caloris, aliâs in motu particularũ Sulphurearum velocisſimo conſiſtentis, natura eſt, ut reſolvat non ſolum, rarefaciat & aperiat, ſed

etiam

etiam intimius Corpori per Poros ſe inſinuet, idemqve qvod aliàs Volatilia præſtare diximus, efficiat, vel ſaltem ad minimum feliciter adjuvet; Unde etiam communis Praxis oſtendit, qvod non ſufficiat Medicamentum Diaphoreticum, optimum qvoqve, niſi ſimul Calor ambiens, tecto præcipue Corpore, accedat.

CAPUT. III.
DE
APPLICANDI MODO ET USU.

§. 1.

NOn autem ſufficit Remediorũ generalis cognitio, ſed etiam recta eorum adminiſtratio: Hæc etenim Curationis anima eſt & Medicum demum facit; A qvibꝰ autem ignoratur, etiam optime paratum Medicamentum eſt inſtar gladii in manibus furioſi, aut ignis in manibus ſtulti.

§. 2. Exhibenda igitur Diaphoretica ſunt juxta normam *Indicantium, Permittentium & Contraindicantium*: Poſtulant ſibi Diaphoreſin non qvicunqve Humores Excrementitii, Sed fuliginoſi, halituoſi è ſecunda & tertiâ Coctione emergentes & per Cutim ſponte erumpere ſoliti, nunc vero p. n. retenti: Diaphoretica enim, uti ex antea dictis conſtat, non ſolùm reſolvendis, attenuandis & per poros Cutis evacuandis humoribus præcipue Seroſis & cum iis qvibuscunqve recrementis reſolubilibus apta nata ſunt; verum etiam torpidos & qvieſcentes Spiritus excitant, agileſqve magis reddunt, ut ſui officii memores expellant id, qvod Corpori & ſibi noxium eſſe poterat; Ubicunqve ergo expulſione opus eſt, ibi optima ſunt Sudorifera.

§. 3. Reqviritur autem circa Humores & cum iis fuligines ac recrementa per ambitum Corporis expellenda (1) ut ſint & contineantur in M. S. vel Lymphatica aut in ipſo Corporis habitu; Ab hinc enim non datur commodior via excretionis, qvam per Diaphoreſin & ejus vicariam Diureſin: Imitamur in eo accurate Naturam, qvæ non uno ſemper, ſed diverſis, iisqve pro ratione excernendi accommodatis viis, onere ſuo liberare ſolet; Abſurdus igitur foret, qvi humores in primis viis, vel

etiam

etiam Cavitatibus extravaſatos hærentes Sudoribus extorqvere vellet; Si natura eosdem per urinam, alvum vel alios vias excernere conaretur:

§. 4. Igitur omninò etiam (2) ipſius Naturæ conatus attendendus meritò venit: Non langventem eam deſerere conſultum, ſed erigere: Conantem adjuvare, non impedire convenit. Qvemadmodum enim Criticæ evacuationes nunqvam ſufflammandæ ſunt (ſiqvidem verè Criticæ & â naturâ bene agente ſibi relicta inſtituuntur) Ita hoc ipſum qvam maximè in Diaphoreſi inter reliqvas evacuationes præcipuam & naturæ maximè convenientem obſervandum venit. Diximus autem notanter â Natura bene agente: Fit enim non raro, qvod nimium irritata etiam Symptomatice & pesſime cum gravi virium & nutritionis læſione Sudorem inſtituat: Cujusmodi notabile exemplum refert *Williſ. Pharm. Rat. p. 134.* qvod in Adoleſcente â Febre Qvartana obſervavit: Tunc enim potius natura aliorſum eſt ducenda, & â pravo conatu impedienda.

§. 5. Sed efficiunt Naturæ conatum bonum vel malum Humores præcipue diverſimode diſpoſiti, ideoqve etiam (3) ad eosdem ſedulo eſt reſpiciendum: Non Diſcusſionem aut Diaphoreſin moliri licet, ubi præcipitatione vel alio opus eſt: *Peccant illi enormiter*, inqvit *Excell. Wed. l. c. p. 173. Qvi in Tertianis, vel Qvartanis, vel Intermittentibus uno verbo, dato Pulvere Febrifugo ante Paroxyſmum ægrum continuo ad Sudandum impellunt, & tantum non cogunt, unde Phthiſeos metum & alia Symptomata non levia aliqvoties orta obſervavimus.* Non obſecundant Diaphoreticis Humores nimis tenaces, viſcoſi, acidi, niſi prius attenuentur & ad ἀναθυμίασιν diſponantur; unde præſtat in Morbis Chronicis, Febribus Intermittentibus, præcipue Qvotidiana, imo etiam in Cachexiis, Scabie & ſimilibus potius continuare Digeſtiva & Aperitiva, qvibus ritè applicatis vel ſponte Sudores ſeqvuntur: Vel ad minimum in his Sudorifera poſt principia ſtant; ſecus ſi fit, Humores aliàs coagulati & crasſi ſaltem turbantur & magis coagulantur, imò impuritates, qvas tollere debebant, augentur magis, & cum aliis adhuc ſanis confunduntur.

§. 6. Præterea videndum, an, poſitis licet Indicatis, Vires etiam ſufficiant & permittant, nec aliud qvidpiam contraindicet; Permittunt qvidem Diaphoreſin qvævis Temperamenta, Ætates & Sexus: Sed facilius ferunt Sangvinei & Humidi, qvàm Phlegmatici, & potisſimum Melancholici ſicci. Præcipue tamen Virium ſufficientia reqviritur; Cùm enim efficax qvodammodo Remedium Sudatio ſit, nec fieri qveat, qvin inter ſudandum etiam Spiritus exhalent & ſic qvoqve Vires deſtruantur, omninò earundem robur aliqvod reqviritur, ne idem contingat, qvod olim *B. Mœbius Epitom. Juſtit. l. 5. p. 1. S. 2. cap. 11.* in Profeſſore qvodam obſervavit, qvi Febre laborans ac ſudoriferum remedium viribus jam multum attritis aſſumſit, cum Sudore ipſam animam emiſit: Eo reſpectu etiam Infantibus, Pueris, Gravidis & Puerperis mitiora ſaltem & temperata conveniunt.

§. 7. Atqve ſic etiam patet inter ea, qvæ contraindicant & diſſuadent Sudorem, potisſimum eſſe Virium lapſum & defectum, qvi tamen bene â Suppresſione eorum diſtingvendus venit: Ubi enim Spiritus ſaltem onere, præcipue aqvoſitatis copiâ, aggravati & oppresſi langvent, ibi potius per Sudorem ab onere & ſarcina liberantur & in libertatem vindicantur: Si vero revera deficiunt, vel prorſus abſtinemus, vel ad minimum juxta tolerantiam eadem temperamus: Accedunt autem his qvoqve alia Contraindicantia, Naturæ ſc: difficultas, ineptitudo & morbi varii. Sunt qvi non ſolùm à natura Temperamenti ſunt ſiccioris & fixioris, ſed præterea nimis ſtrictam tegumenti Cutanei habent texturam: Ita dantur Morbi varii, in qvibus Serum potius deficit, e. g. Mania, Melancholia, Febris Hectica, Maraſmus &c: in qvibus vel prorſus nullus Sudor impetrari poteſt, vel licet extorqvari tandem posſit, tamen noxam potius, qvam εὐφορίαν relinqvit: Nunqvam prodeſt Sudor coactus, ſemper nocet. Si vero forſan contingit, Indicantia & Contraindicantia concurrere; ad potiora reſpicere prudens Medicus noverit, & juxta eadem Diaphoretica limitabit, augebit vel imminuet.

§. 8. Præſervationis gratia qvodcunqve fere Tempus Sudoribus impendi poteſt, præcipue tamen Vernum & Autumnale, ubi Morbi Lymphatici & Seroſi aliàs communiter imminent: Idqve

Idqve matutinum, jejuno ſc. Ventriculo; ſic enim facilius & integre penetrabunt ad M. S. in qva principaliter operari debent: neqve metus erit, ne cruditates rapiantur ſimul in Sangvinem & ambitum Corporis: In Cura vero tempus propinandi Diaphoretica oſtendit ipſa Morbi natura. Morbi acuti & maligni Spiritus magis afficiunt, cauſas & fermenta ſua ſubito expandunt, per univerſum corpus ſe multiplicant, qvare nulla indigent præparatione, aut digeſtione, ſed ab initio ſtatim & toto decurſu Morbi exturbari debent Sudoriferis: E contrario in morbis Pituitoſis Chronicis ſtant demum poſt principia, digeſtis prius & ablatis partibus craſſioribus & viſcoſis, qvibus poſtmodum Sudorifera ſubordinantur, ut reliqviæ tenuiores & habituales penitius excludantur: Alias qvoqve ex ſententia *Walæi Meth. Med. p. 64.* commodiſſimum tempus Sudori movendo eſt nocturnum circa Somnum, ubi Calor aliàs ad interiora qvodammodo recedit, qvem facilitare & promovere Sudorem ſupra circa Opiata notavimus. Conf. *Zacut. Luſit. l. 2. de Medic. Princ. Hiſtor. 7. & Hiſtor. 77. It. lib. ult. prax. hiſtor. cap. 1. n. 3.*

§. 9. Neqve copioſius provocetur Sudor, qvam natura morbi indicat & vires tolerare ſufficiunt: Errant enormiter, qvi ad qvatuor vel qvinqve horas præciſe ſudandum eſſe perhibent citra habitum reſpectum ad Morbum, Vires, vel naturam ægri: Antea diximus Sudorem coactum nunqvam bonum eſſe, ſed qvi liber & cum εὐφορίᾳ fluit. *Thomæ Eraſto Diſp, 4. contra Paracelſ.* rectius hora dimidia, integra, vel ſesqvi hora ſufficit, prout circumſtantiæ ferunt. *In ipſis Variolis*, inqvit *Celeb. Wedel. l. c. Febribus malignis aliisq; nunqvam conſultum eſt adſudandum ægros fortius impellere: Ibi enim Seri proportio nimis abſumitur, Sangvis ipſe ad ebullitionem magis cietur, & naturæ benè agentis conatus intempeſtive præcipitatur; adeoq; præſtat Diaphoreſin per vices continuare & naturæ tempus concedere, qvam eandem peſſundare cogendo; præſtat eandem ſeqvi, ducere, non pellere; qvod non præſtat Sudor, id præſtat tenuis udor.*

§. 10. Habendus tamen qvoqve eſt ſelectus inter Sudorifera ipſa, pro ægri temperatura, ſtatu Sangvinis pro nunc, aliisq; circumſtantiis diverſis: Ubi Sangvis & Lympha in coagulum

 abeunt,

torpide moventur & in partem aliqvam decumbunt, e. g. in Inflammationibus, fluxionibus Articulorum, tumoribus Glandularum, Variolis, Morbillis reſtitantibus aliisqve, tunc omnino præſtat magis Volatilibus uti, utpote qvibus ſeri & Sangvinis partes reſolvuntur, promoventur, fermentantur, exaltantur, pori aperiuntur ſimulqve natura ad expellendum hortatur: Turpiter autem ſe dederit, qvi iisdem qvoqve in Febribus reſolutivis & Colliqvativis Malignis, Peſtilentialibus uti velit: In his enim & ſimilibus potius abſorbentia & præcipitantia Acidis ſociata omne ferè punctum abſolvunt, utpotè qvæ fermentationem nimiam humorum præcipitant, reſolutionem prohibent & tamen tranſpirationem Malignitatis & Miaſmatis febrilis ſui juris reddunt: Ubicunqve vero Humores jam tum viſcidi, craſſi à receſſu qvodam Seri naturalis & blandi aut abundantia ſcoriarum ⊖ino 🜍:arum atrabilariarum, ut vocant, exiſtunt e. g. Scorbuto, Scabie ſicca, Lepra, & ſimilibus, in his potius convenient Volatilia Aqvoſis & halituoſis permixta: Vel etiam Acida ⦶oſa, qvæ non modo Seri coagulum inſigniter incidunt, ſed etiam domando, infringendo & alterando Sulphureas & ⊖inas partes aduſtas, blandam halituoſitatem ſaltem efficiunt, ſuoqve ſcopo ſatisfaciunt.

§. 11. Qvemadmodum autem ſtatus ægri & conditio ſymptomantum rationem ſelectus interSudorifera tam varia determinat, ita etiam eorundem cum aliis medicamentis maritationē oſtendit; Non qvidē facile nec tuto ſociantur cum iis, qvæ contrarium prorſus humorum motum cient e. g. purgantibus vel vomitatiis, niſi forſan ex alia intentione & in doſi refractâ, qvo modo ♁um diaphoreticum ingreditur pulverem famoſum Cornachinum purgantem; qvamvis præſentiorem longe habeamus maxime polychreſtum ex ♁io ♂li laxativo cùm ſcammonio & Cryſtallis ♀ri ſociato: Miſcentur tamen commode Diureticis, vel etiam Salivantibus; ſi qvidem hæ evacuationes ſtatū nudis circumſtantiis differunt & pro diverſitate ſubjectorū uno eodemqve medicamento eliciuntur. Commodisſime autem miſcentur alterantibus, cum ipſamet ſint generoſa alterantia; Eo ipſo dum humiditates ſuperfluas diſcutiunt, conciliant

Corpori

Corpori debitam ſiccitatem & calorem; Dum humores pituitoſos reſolvunt, attenuant, rare faciunt, acidum qvoqve morboſum infringunt, vigorant Spiritus & ſangvinem &c. Prudenter igitur junguntur alterantibus ad eundem ſcopum collimantibus maximæ præcipitantibus & febrifugis ubi ex Praxi qvotidiana conſtat.

§. 12. Inter Sudandum etiam non omittenda ſunt alia qvoqve huc facientia: Cooperiendus eſt Æger, ſed tamen ad tolerantiam: Vix opus eſt, ut in hypocauſtis nimium calefactis & ſtragulis undiqvaqve obrutis, ægris Sudorem extorqveamus. Sic enim vires nimium reſolvuntur, aut prorſus ſuffocantur, qvemadmodum *Zacut. lib. 1. Prax. admir. obſervavit* in qvodam, qvi critice ſudans veſtibus ſaltem contectus in Syncopen incidit; Sufficit moderatus Calor ambiens & averſio aeris medinatibus tegumentis aptis, ut pori aperti ſerventur & reſolutio etiam ſic qvodammodo promoveatur, non impediatur: Si forſam difficilius ſuccedit Sudor & morbi natura permittit, Balneis Laconicis, Vaporariis, aut ſaltem Pedibus & ſub Alis lateribus calidis, vel aliis fomentis admotis naturæ conatus adjuvari poteſt; Semper juxta ductum ejusdem, nunqvam contra illum.

§. 13, Contingit præcipue in Malignis, qvod aſſumtum Sudoriferum in principio ſtatim rejiciatur per Vomitum, qvo caſu non deſerendus ſcopus propoſitus, ſed novum, idqve qvodammodo mutatum, aliove vehiculo donatum Medicamentum propinandum: Qvemadmodum etiam ſi Vires fatiſcunt inter Sudores, confortantia præcipue temperata acidiuſcula in uſum trahere, eſt conſultum. Somnum ſupervenientem adjuvare Sudorem ex antea dictis conſtat, qvæ tamen potisſimum de Morbis Benignis magis, qvam Malignis valent: In illis enim notat Morbi remisſionem & inducias; in his vero ſæpius languorem nimium, unde metus non levis ſuboritur, ne contagium malignum Spiritus prorſus obruat & extinguat: Reliqvæ tamen circumſtantiæ ſimul ſunt attendendæ.

§. 14. A peracto Sudore Corpus non ſtatim Aeri liberiori exponere tutum, ne Pori ſubito adſtringantur, Exhalationes

adhuc inſenſibiliter ſubſeqventes repellantur, unde neceſſario anomalus motus Spirituum & humorum ac per conſeqvens Lypothymiæ, palpitationes Cordis, anguſtiæ aliaqve plurima mala pullulant. Vid. *W.d. C. 2. de Febb. p. 211.* Linteis potius calidis abſtergatur Corpus, & moderate tegumentis vel veſtimentis tectum conſervetur: Qvi permutationem Induſiorum interdicunt, intelligendi ſaltem ſunt de integumentis frigidis, humidis, aut nitroſis effluviis aliisqve â mundatione reſiduis turgeſcentibus: Aliàs vero ſi prius ad fornacem foventur ac ventilantur, in qvovis morbo, etiam Variolis, Morbillis, Peſte & aliis tuto admittuntur; ne ex diutina retentione Sordes Poros cutis inviſcent, obſtruant, aut prorſus in Corpus remeent, indeq; priora & alia mala obveniant, qvemadmodum vel ex hoc apparet, qvando etiam ſana Corpora â veſtimentis, vel lecto Scabioſorum contagio afficiuntur.

§. 15. Morbos autem, in qvibus ſpecialiter uſu veniunt Sudorifera, recenſere qvid attinet? Sufficiet ex ſententia clariſſimorum Medicorum dixiſſe, qvod tertia fere Morborum omnium pars iisdem curari qveat: Uno verbo; in qvibusvis Maſſæ Sangvineæ vitiis â Qvalitatibus & motibus vitioſis, ſunt inſtar omnium, ſi cæterea fuerint paria: Sæpius ſi non Sudorem, tamen Alterationem efficiunt; In ipſis Febribus Hecticis & Colliqvativis eadem Opiatis aliisqve temperata maxime utilia fuiſſe exemplis probat *B. Ettmüll. de Virt. Op. ſudorif. Cap. 3.* Is demum prudens Medicus eſt, qvi non ſolum in obviis, ſed etiam dubiis Caſibus reſpicit ad potiora & juxta eadem remedia generoſa limitat, auget, vel minuit.

SOLI DEO GLORIA.

SIccine Belovi velis remisqve Galeni
Naturaeqve inhias interioris opes?
Dum vice non unâ repetis certamina docta
Et Sophies medicæ Scandere templa ſtudes.
Macte tuo genio! vertens cum ſangvine ſuccum,
Ingenii praeſtans hoc medicamen erit.
Teſtaris medici Belovi docte laboris,
Sudorem, crudi corporis atq; doces.
Euge prodeſt proprios modò ſic ſudasſe per artꝰ,
Ut qvod tudaſti, Sentiat aegra cohors.
Cum ſtillant ſudore pedes, ſudore lacerti,
Oraq; guttatim pulverulenta rubent.
Perge velut pergis tali ſudore per artes
Sic tibi Machaon digna brabea dabit.

ſic
Conatibus DN. BELOW,
adplaudebat.

D. JEREMIAS LOSSIUS P.P.

DN. BELOW.

TOties vicẽ *Clariſſime* Artis noſtræ tam Nobilisſimæ dolendã eſſe andiviſti, qvod à multis ejꝰ Cultoribus etiamnum tam frigide & jejune pertractari conſveverit, ut vix leviter hauſtis fundamentis, ſtatim ad Praxin

J683
V343d

13-171

xin abeant & experimenta per mortes faciant. Ideò longe rectius ſapis, qvi non obiter, ſed ſolide pertractatis fundamentis eò potisſimum laboraſti ſedulò, ut corpus humanum exqviſitius haberes cognitum; unde tam multum operæ ſtudiiqve poſuiſti in Cadaverum Anatome: Nunc qvoqve, ut reliqvis etiam Medicinæ partibus ſtrenue litare videaris, Medicamentorum naturas, præparandi & aplicandi modos cum ſumma induſtria rimaris, qvo fine præſentem de *Diaphoreticis* Diſſertationem contexere voluiſti. Datus eſt virtuti Tuæ locus ad majora deinceps ſpatia facienda, pronisqve gradibus ad ſummum Honoris faſtigium aſcendendi: Sic Parabitur Venerando *Dno. Parenti* uberrimum gaudium, Tuo Nomini amplisſima dignitas & multis langventibus ſolatium: Qvod ex animo vovet.

Dab. è Muſæo. D. XIII.

Tui Studioſisſimus

Octobr. A. M. DC. LXXXIII.

P R Æ S E S.

Dum rurſus ſcandis Cathedram, CLARISSIME BELOVV,
Et doctis præbes ſedulitatis opus,
Gratulor hos auſus. Laudandus pergito cœptis.
Sudor namq; Tibi commoda multa Feret.

MICHAEL Gottfried Ziegra/
Med: Licent: